

perfectum. Quod si lumen extra mundum diffundatur, mundus non omnia continebit; deerit illi lumen id quod extra illum porrigitur: Eo autem carens nulli dubium iri, mundum esse imperfectum.

Magna equidem sunt hæc obiecta omnia. Sed nostræ sententiæ officere nequaquam possunt. Nam et stellas omnes suis fulgere lucibus, et eas ignes, flammisque esse, indubie est demonstratum. Ideoque toto corpore lucere eas est necesse, et nulla parte opacas esse. Itaque obiecta illa priora, nullum locum habent. Cur autem lumen in vacuum proiici non potest. Nulla profecto res alia, in universo tanta corporum varietate conflato, lumini intercludat viam, nisi una opacitas. Lumini corpora omnia reliqua: rara, densa, mollia, duraque cedunt viam. In spacio illo vacuo, opacitas nulla est. Si hæc alia corpora ibi essent, transitum sine dubio lumini præberent. Cur ergo spacium quod nulli rei resistit, nulli obsistit, eidem lumini transitum non dabit? Cur eidem non cedat vacuum; quod nullam antitypiam, queat opponere? An vero vacuum, an vero spacium sui natura, erunt opaca? Ratio sane valida est reddenda, quo modo opacitas in spacio vacuo habitet? Et res quæ nulli rei mundanæ, aut eadem, aut similis sit, et fere nihil est, cum densissima opacitate conferre prope amentium est, et afferere tantam habere resistantiam id quod nullam habet, quantam corpora opaca, per se ad resistendum nata, dementia est iam plena. Nisi hæc valide solvantur demonstratioque afferatur valida, pro somnio relinquatur. Lumen in vacuum proiici non posse, quod etiam corpora omnia præter duo illa opaca, penetret suis viribus, et permeet. Quod vero dicitur non proiici in infinitum? Quoniam Solis, ac siderum corpora sint finita, viresque habere finitas, nullius est momenti. Lumen etenim, non est corpus tale, qualia omnia alia sunt corpora. Atque ideo cur et finitum dicitur ipsum, et finitæ ei vires attribuuntur, etiamsi a finitis promicet? Extra enim finita postquam est, si a nullo opaco coarctetur, finitorum condiciones habere non est necesse. Nam si id lumen, quod mundum replet, quandoque languescit, id ei uti docuimus contrariorum viribus, umbrarum, obscuritatis, tenebrarum, opacitatis accidere, visus etiam cognoscit. At extra mundum, quid nam dicemus esse lumini contrarium, ubi nulla opacitas, ubi nulla opacitatis proles? Hoc si adducere nesciamus, aut nequeamus, nullis contrariis ibi lumen languescere, nullisque terminis finiri posse, est affirmandum. At mundus, quarto obiiciebatur, sic infinitus ipse quoque esset. Huic res nulla alia obstat, nisi sapientum autoritas. Nos vero rationibus, philosophamur non autoritatibus. Quas suo loco explicandas, maneant nos lectores. Et satis sit eis modo demonstrasse, et conclusisse lumen a Sole, a stellis, a cælo ipso extra mundum hunc quem putant finitum, in infinitum progredi, ac protendi. (Quod alias in libello de spacio physico demonstratum, et mihi concessum fuit a Dominis superioribus.) Atque hoc lumen, illud est quod cælum empyreum, nostrates Theologi vocavere. In quo Deum, beatas mentes, animasque felices habitare tradiderunt. Cuius essentia purissimus sit ignis, unde nomen quoque habeat. Ignis inquam, non primi specie anthrax, non secunda specie flamma: sed tertia, Timei, Platonis, Theophrasti, Platoniorum nobiliorem omnium. Lux et lumen, sitque Zoroastris, Ζωηφόριον πῦρ. Vitifer ignis. Neque vero Theologi nostrates primi fuerunt, qui hoc dogma empyrei cæli induxerunt. Sed ante eos Parmenides de eo est locutus. Cuius verba raritatis eadem causa, oportuit afferre. Sunt autem:

Καὶ τὸ περιέχον δὲ τὸ πᾶν στοιχεῖον δίκην σφάνου σερεδὸν εἶναι πρῶτῳ πυρί, μεθ' οὗ ἀιθέρα, εἰταέρα, μεθ' οὗ ὕδωρ.

“Et id elementum quod ambit hoc universum coronæ instar, esse solidum primo igne. Post quod æthera, deinde aerem, post quem aquam.” Et addidit:

Πῦρ φῶς καθαρὸν, οἰκεῖ ἐν οὐρανῷ.